

antedictorum Regnorum Officij Banalis Locumtenentis, pro 6. Mensis Aprilis et subsequis diebus Anno 1756, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Sextus.

De Processu Magiae.

Erga benignissimum sub dato 26. Martii emanatum Caesareo-Regium Mandatum concluditur: ut in Causis Magistratualibus, ex Crimine Magiae et Veneficii motis, Magistratus legitimi contra ejusmodi malefactores in Gremio Jurisdictionis Suae comprehensos, suo modo et ordine quidem procedant, sententiamque ferant, hanc tamen in executionem nullatenus deducant, verum ante publicationem, cum tota Processus serie Suae Excellentiae Banali, et ejus medio Suae Sacratissimae Caesareo-Regiae Majestati submittant, ab ulteriori tandem benigna Resolutione Regia praestolaturi. Pro cujus notitia et observatione idem benignissimum Caesareo Regium Mandatum publice dictatum fuit.

Articulus Decimus Tertius.

De urbalialis Deputationis relatione.

Ordinata primum, ad mentem Benigni Mandati Caesareo Regii eatenus emanati, fine elaborandae Interimalis et Stabilis Urbarii Ideae, successive autem in investigatione certarum pecuniarum et rerum, per officiales Montis Claudii indebite, ut coram Regia Comissione exponebatur, perceptarum, atque ideo per suam Majestatem Sacratissimam in benigno suo de dato 8. Novembris Anni praeteriti emanato Mandato restitui commissarum, subsistens Deputatio, eam, quae hic subnectitur, fecit relationem, etiam in publico confirmatam, atque etiam ad Augustum Suae Majestatis Sacratissimae thronum demisse repraesentatam.

Cujus relationis tenor sequens est:

Per articulum 35. Congregationis Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regni pro 17. Mensis Novembris et sequentibus Anni praeteriti 1755 diebus celebratae, in negotiis subtile attingendis, considentis principiumque consensus sui pro die 9. Mensis Februarii Anno modo labente summentis, ac successive per decursum plurium Congressuum laborem suum continuantis Deputationis

Relatio.

Siquidem Inclyti Domini Status et Ordines 17. Novembris Anni 1755 Zagrabiae congregati, in obsequium benigni Regii de 8. ejusdem Mensis emanati, deque interimali circa praestanda Urbaria regulatione atque elaborando stabilis Urbarii Systemate, clementer disponentis, et respective in casum,